ZUSAMMENGESETZTE HANDSCHRIFT: BEDA VENERABILIS. STERNBILDKATALOG. AUGUSTINUS
Zwettl, um 1200 Seite 194r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31907
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



primo sua. deinde prophete uoce dampnatus penitendi humilitate.
et peccati confesione liberatus est. sed plane uapulauit multa.
sed exemplo suo docuit intelligi non ad sempiternam penam sed ad
seueriorem disciplinam pertinere quod dictum est a domino. Qui autem
nouit uoluntatem domini sui et facit digna plagis. uapulabit
multa. Nam et illud ad hebreos qui diligentius pertractant.
sic intelligunt ut non de sacrificio contribulati per penitentiam
cordis accipiendum sit. quod dictum est non adhuc pro peccatis
relinquitur sacrificium. sed de sacrificio de quo tunc loquebatur apostolus. idem
holocausto dominice passionis. quod eo tempore offert quisque
pro peccatis suis quo eiusdem passionis fide dedicatur et christianorum
fidelium nomine baptizatus imbuitur. Ut hoc significaue
rit apostolus non posse deinceps eum qui peccauerit. iterum
baptizando purgari. quo intellectu non intercluditur penitendi
locus. Ita sane ut eos qui nondum baptizati sunt. nondum
plenam scientiam ueritatis accepisse fateamur. Ex quo conficitur
ut omnis qui scientiam ueritatis accepit. quem baptizatus intelligatur.
Non autem omnis baptizatus et iam scientiam ueritatis acceperit
propter quorundam posteriorem prouectum. uel miserabilem negligen
tiam. et tamen illud sacrificium de quo loquebatur. idem holocau
stum domini. quod tunc pro uno quoque offertur quodammodo cum
eius nomine in baptizando signatur. Iterum si peccauerint
offerri non potest. Non enim possunt denuo baptizari qui
semel baptizati sunt. quamuis et iam post baptismum per ignoran
tiam ueritatis peccauerint. Ita fit. ut quomodo sine baptismo
nemo recte dicitur accepisse scientiam ueritatis. omnis qui accipit
eam. non ei relinquatur pro peccatis sacrificium hoc est non denuo bap posse
tizari. nec tamen omnis qui non accipit per doctrinam scientiam
ueritatis debeat arbitrari posse pro se illud offerri sacrificium.

194